CONCIO
AD
CLERUM

624. e 16

Habita coram

Academiâ Cantabrigienſi

Oct. 9°. A°. 1700.

Pro Gradu BACCALAUREATUS in S. Theologiâ

Ubi præſertim Fidei

Natura Juſtificantis traditur.

A *ROBERTO MARSDEN*, S. T. B.
Coll. *Jeſ.* Soc.

CANTABRIGIÆ,
TYPIS ACADEMICIS,
Impenſis *Edmundi Jeffery*, Bibliopolæ *Cantabr.*
M. DCCI.

Reverendo admodùm in Chriſto Patri;

Ac DOMINO,

Domino SYMONI EPISCOPO ELIENSI,

Haſce ſuas

QUALESCUNQUE IN RE THEOLOGICA PRIMITIAS,

Humillimè dicat, dedicatque

IN OMNI GRATI ANIMI OFFICIO DEVINCTISSIMUS

ROBERTUS MARSDEN.

Domino SYMONI

EPISCOPO ELIENSI

ROM. V. 1.

Juſtificati igitur ex Fide, pacem habemus apud Deum, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

AGITUR hîc præcipuum caput religionis Chriſtianæ, peccatoris nempe coram Deo juſtificatio. In quo Sanctus *Paulus* prolixè & multis verbis declarat, tum Gentes tum etiam Judæos fuiſſe peccatores, & à Dei gloriâ excidiſſe: illos, quoniam cùm Deum cognoverant, non ut Deum adoraverunt, ſed vani facti ſunt, & in atrociſſima ſcelera prorupêre, quorum horrendum Catalogum ſubnectit ad *Rom.* 1. Judæi verò, tantum abfuit, ut Deo illi placerent, ut per eos ipſæ etiam Gentes Deum blaſphemarent. (*Rom.* 2.)

Concludit igitur utroſque ſub peccato Apoſtolus, & illis denunciat iram & judicium Dei. Quod cùm per ſe ipſi effugere non poſſent, Fidem illis in Deo propter merita Chriſti commonſtrat, tanquam certiſſimum contra hæc mala aſylum, unicamque ad ſalutem viam. Ipſiſſimo hoc modo rediit cum Deo in gratiam ipſe (adhuc in præputio) *Abrahamus*, & ad ejus exemplum, ſemen *Abrahæ*, ut in Textu.

Propinat igitur nobis Textus ſalutarem doctrinam de miſericordiâ Dei, ignoſcentis & acceptantis peccatores, propter Chriſtum, ſub conditione Fidei.

Quod beneficium ut altiùs inſideret gratis animis, hæc verba reducunt nobis in memoriam luctuoſiſſimum illum ſtatum, in quo ſine Chriſto, ſineque fide volutabamur, ſtatum ſcilicet belli & inimicitiæ: nam in liberatione noſtrâ

diſertis verbis exprimitur, Quòd *Pacem* habemus apud Deum.

De quo miſeriæ ſtatu tribus verbis dicendum, ut meliùs deinde, quò velim, perveniam.

Si quis igitur quærat, quo fato evenerit, ut homo in Naturæ (ut vocari amat) ſtatu uſque adeò ſit miſer; facilè reſpondetur, Deum non creaſſe hominem talem. Minimè, inquam, gentium; creavit enim glorioſum ſpiritum, incarnatum quidem illum, ſed ſuo genere perfectum. Nam quamvis Deo viſum fuerit hominem labilem tantummodò & mutabiliter bonum formare: potentia tamen ejus in ſtatu innocentiæ, quam habuit ad peccandum, nec fuit ipſum peccatum, nec cauſa fuit peccati; ſed conditio ſolùm creaturæ conveniens, à quâ ipſe Creator notâ hâc incommunicabili diſtinguitur, quòd unus ipſe in ſe, & ſuâ naturâ, ſit immutabiliter bonus.

Homo igitur liberrimi arbitrii factus, eo peſſimè abutitur ad peccatum, dedignatur ipſius Dei ſervitium, excutitque imperium. Et hoc flagitium, Deus bone! quas turbas dedit? Tyrannicum exinde imperium exercuêre ſuperbia, libido, ira, cæteræ peſtes animorum. Odium, iraque Dei, mors & Gehenna, omniumque adeò miſeriarum, tum ipſi *Adamo*, tum miſeris illius poſteris, incubuit cohors. Quibus rebus erudiri nos ad humilitatem oportet, & ad benigniſſimi Dei gratiam obſtupeſcere.

His ita præmiſſis, ad illa jam beneficia revertor, quibus fruentur in Chriſto Fideles. *Juſtificati* (enim) *ex fide, pacem habemus apud Deum, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.* In quibus verbis, ad officii mei rationem pertinere arbitror, ſi tria hæc, præter cætera, vobis enarranda ſumam.

I. Lætum illum gratiſſimumque nuncium de noſtrâ apud Deum reconciliatione, his verbis, *Pacem habemus apud Deum.*

II. Cauſam

II. Cauſam deinde ingentis hujus beneficii meritoriam, *Jeſum Chriſtum.*

III. Illam denique conditionem, quâ ornati, reputamur à Deo digni, quibus dimittantur peccata: ea autem eſt *Fides.* Nam *Fide juſtificati, pacem habemus apud Deum, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.*

Adeò ut pax noſtra ſuperſtruatur juſtificationi, juſtificatio autem fundetur in meritis Chriſti; hoc verò omne eatenus ad individuorum ſalutem faciat, quatenus per fidem ſalvificam ſingulis in rem ſuam applicatur.

De quibus rebus dum pro modulo meo inconditè agam, vehementiſſimè precor Dei benedictionem; precor etiam, Academici, candorem veſtrum.

I. De pace igitur noſtrâ apud Deum imprimis dicendum. Sed quoniam juſtificatio præcedit ordine & naturâ pacem noſtram, de illâ ideo quædam præmittenda.

Habet autem juſtificatio has præcipuè ſignificationes.

1. Mutationem quandam cordis internam denotat, quâ quis è peccatore fit juſtus, eodem planè ſenſu cum ſanctificatione; & eâdem vi, quâ vivificatio pollet, calefactio, & ejuſmodi vocabulorum compoſitio; quæ ſignificant mutationem (ut loquuntur Phyſici) ab unâ qualitate in aliam. Hæc juſtificatio ſequitur quidem propriè dictam juſtificationem, neque improbamus ſi dextrè explicetur; non tamen eſt hujus loci: quærimus enim jam, non opus hominis, ſed Dei externum erga nos, ſine nobis actum; quo ſc. juſti reputamur apud Deum.

2. Igitur accipitur Juſtificatio pro gratioſiſſimo illo Dei actu, quo excipit peccatores, ad veniam admittit, peccata condonat, habetque pro juſtis propter merita unigeniti Filii. Et hic eſt propriiſſimus ſenſus hujus verbi in Articulo *Juſtificationis.*

Eſt enim hujus vocis vis ab Hebræis derivata ad Græcos, apud quos δικαιῶν ſignificat juſtum reputare, pro juſto habere, non verò juſtum facere, ut à probatiſſimis Authoribus,

& à peritiſſimis Lexicographis facili negotio colligitur. His accedit, quòd in ſacris literis, eadem ferè ſit mens hujus vocabuli, & ſemper in Articulo *Juſtificationis*, in quo, mutuatur ſignificationem Judicialem, ab uſu forenſi, exprimitque abſolutionem à peccatis, opponiturque τῷ condemnari; ut (*Rom.* 8. 33, 34.) *Deus eſt qui juſtificat*, ὁ δικαιῶν, *Quis eſt qui condemnat?* magnâque curâ proſpexere Scriptores ſacri, hunc nobis pluribus in locis hujus vocabuli ſenſum imprimere, ne in tam gravis negotii re à veteratore quopiam nobis imponeretur. Ita *Rom.* 3. 23, 24.——4. 7, 8. & aliis locis innumeris.

Juſtificare igitur in S. literis, idem eſt ac peccata condonare, reum ad favorem admittere, juſtum reputare, pœnam relaxare, ſalutemque æternam porrigere credentibus propter merita dilecti filii Dei.

Juſtificationem hanc ſequitur continuò Pax, tanquàm comes individua, *Juſtificati pacem habemus apud Deum. Deus eſt qui juſtificat, quis eſt qui condemnat?* Et (*Rom.* 8. 1.) *Nulla nunc eſt condemnatio iis qui ſunt in Jeſu Chriſto*——. Et quidem Scriptores ſacri ipſam juſtificationem mellitiſſimo pacis vocabulo nobis commendare familiariter ſolent, multis locis. Sic (*Act.* 10. 36.) *Evangelizamus pacem per Jeſum Chriſtum; Jeſus Chriſtus eſt pax noſtra* (*Eph.* 2. 12.) *Evangelium pacis* (*Eph.* 6. 15.)

Habemus igitur pacem juſtificati. Solùm reſtat, ut quid beneficii ipſa hæc pax velit, excutiamus. In quo multa in pauca conferam.

Videamus igitur epitheta, quibus decoratur hoc pacis Evangelium.

Vocatur autem Evangelium Gratiæ Dei; *Quàm ſpecioſi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona.* Εὐλογία, ἐλπὶς τοῦ εὐαγγελίου, τὸ εὐαγγέλιον τῆς δόξης, τῆς σωτηρίας. Adeò ut hæc pax, quâ fruimur juſtificati, ſit ſummum quo caruimus, quôque augere Deus nos potuit bonum. Amovet enim à nobis omnia, quibus laboravimus, luctuoſiſſimi belli incommoda, peccati

cati originalis reatum & actualis, judicia item Dei tum in hâc vitâ, tum (quod maximum est) in futurâ; tollit horrorem mortis, pœnasque inferni: non amplius nobis minitatur Lex, non amplius terret Conscientia, trahitque reluctantes ad tribunal Dei.

Porrò, hæc pax non solùm tristia hujusmodi mala à nobis quàm longissimè amandat; sed, quod imprimis observandum, omnia læta & felicia eorum loco substernit.

Si quid enim in placato Deo afflictis Conscientiis solatii; si quid in Spiritu Sancto opis, (quâ freti Deo utcunque placere possimus,) si quid ex hujus vitæ commodis, vel corpori gratum eliciatur, vel ipsi animo non injucundum; si ulla denique homini fideli, & hujus mundi (ubi ærumnosè pariter & flagitiosè ferè vivitur) vicibus exercitato, requies; si qua spes, voluptas, felicitas affulserit, ex Dei O. M. dilectissimique Servatoris visione beatificâ; ex eo, quòd angelorum frequentiâ stipati in cœlis, & circumfusi erimus; ex perpetuo convictu sapientissimorum & sanctissimorum virorum: hoc, inquam, quantum quantum sit omne, in illâ ipsâ pace, quam nunc explicamus, pleno nobis jure largitur Deus. O præclarum illum diem (Auditores) quando ad civitatem Dei, & myriadas Angelorum, quando ad Sanctorum consummatorum cœtum, adque novi pacti Mediatorem Jesum, Deo dante, accesserimus!

Quàm vellem in hâc quàm gratissimâ materiâ permanere! Sed vetat me nimia dicendorum copia, urget fugitivum tempus, vestraque patientia.

Mitto igitur rem notam, hâc tamen annexâ animadversione: Redditam nobis in Christo esse cum fenore beatitatem, præ miseriâ, quam in *Adamo* sustinuimus. Placere enim video viris doctissimis, fideles auctiori jam felicitate in futuro seculo fruituros, quàm si nunquam peccasset Protoplastus. Potuit quidem *Adamo* post perfectam assiduamque obedientiam, cœlum, tanquam donum, liberè contulisse Deus; nullibi tamen legimus ullo eum ad id promisso

teneri; probéque novimus opus *Adami* naturale, præmium ſupernaturale nullo modo meruiſſe. Quòd ſi cui minùs hæc arriſerint, per me licet ſuo ingenio frui; ego non admodum defendo.

De *Pace* igitur hæc dicta ſufficiant.

II. Ad cauſam hujus immenſi beneficii meritoriam, jam properandum: quæ una eſt Jeſus Chriſtus: ut in textu, *Pacem habemus per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.* Hæc autem erat Secunda hujus inſtitutionis pars.

Fundamenta hujus doctrinæ è ſacris paginis unicè petenda. In quibus occurrunt quàm certiſſima ejus rei indicia, è quorum cumulo pauca ſeligam.

Claris verbis id nobis teſtatur Sanctus *Paulus*, *Eph.* 1. 6. *Deus*, inquit, *ſibi acceptos nos fecit in dilecto ſuo*: & ad eundem omnino ſenſum (2 *Cor.* 5. 18.) *Deus reconciliavit nos ſibi per Jeſum Chriſtum.* Et S. *Petrus* (*Act.* 4. 12.) in alio quoquam eſſe ſalutem pernegat, *nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo, quod datum eſt inter homines, per quod oporteat nos ſervari.* Patet igitur nobis propter unum Chriſtum, ad gratiam, adque cœlum aditus.

Hîc verò nobis occurrit nodus vindice non indignus. Certum enim eſt Jeſum Chriſtum toti divinæ legi ſatisfeciſſe, tum vitâ inculpatâ, tum maledictâ morte, optima quæque agendo, peſſimaque patiendo. Quæri jam non inſcitè poteſt, an paſſivâ ſolùm, vel etiam activâ ejus obedientiâ meruerit fidelibus delictorum veniam.

Nollem profectò in re tam ſerii momenti, infirmiſſimi cujuſpiam fidem labefactare, nec tam arctè conjuncta audebo errore divellere. Quæ verò hâc in re clariſſima videntur, paucis accipitote.

Eſt quidem, ubi in Sacris literis, Servatoris noſtri in genere obedientia (prout continere videatur tum activam, tum etiam paſſivam) dicitur eſſe cauſa propitiationis noſtræ coram Deo; & infirmis autor eſſem, ut in illâ latitudine vocem acciperent. Sic *Rom.* 5. 19. his verbis; *Sicut per inobe-*

inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi: ita per unius obedientiam juſti conſtituentur multi; hoc, inquam, interdum occurrit.

Sed tamen negari interim non poteſt (appello hîc, viri doctiſſimi, fidem veſtram) quin ſæpiùs denſiſque teſtimoniis, & in S. *Scripturæ* tenore, pax noſtra apud Deum illi obedientiæ actui vigilanter tribuatur, quo *Chriſtus factus ſit obediens ad mortem, mortem illam crucis.* Cæterùm id ita eſſe luculenter ex eo patet, quod non adeò facile ſit noſtram cum Deo reconciliationem ex novo Inſtrumento probare, ut non eâdem operâ, ſanguinolentæ crucis & paſſionis, pretioſiſſimæ Chriſti mortis & cruenti ſacrificii diſertam ſimul mentionem feceris. Sic *Rom.* 5. 9. & in iis maximè locis, ubi Articulus *Juſtificationis* tanquam in ſuâ ſede traditur. *Juſtificati nunc ejus ſanguine ſervabimur per eum ab irâ: reconciliati fuimus Deo per mortem filii ejus.* Et *Eph.* 1. 7. *In Jeſu Chriſto habemus redemtionem per ſanguinem ipſius, remiſſionem offenſarum. Nos prædicamus Chriſtum crucifixum. Non ſtatui quicquam ſcire inter vos, niſi Jeſum Chriſtum, eumque crucifixum*; &—— *Glorior in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti.* In quibus omnibus locis, arduum illud redemtionis noſtræ negotium in benedictiſſimi Domini noſtri crucifixione nobis imprimis commendari intelligitis.

Ad quid ergò, inquitis, obedientia Chriſti activa, ſi non ſit nobis imputabilis, nec præſtita fuit noſtrâ vice?

Breviter vobis, & cautè, quantùm poſſum, dicam: & certè in hujuſmodi rebus ſobriè uſque ſapiendum, & modeſtè loquendum.

1. Cum ſummâ animi gratitudine confiteamur oportet eam Chriſti humiliationem, quâ illi placuit fieri homo, (*Ph.* 2. 6, 7, 8.) ut Mediator eſſet inter peccatores & iratum Deum, eſſe mirum quantùm meritorium. Stupuit diu in Filii Dei incarnatione ſenſus humanus, obmutuitque lingua.

Fate-

Fatemur etiam libenter, quicquid Chriſtus fecerit, ut Mediator, ad nos quoque ſuo ordine pertinere.

2. Videtur autem, Chriſtum non omnia, quæcunque fecerit, eo reſpectu propriè & per ſe feciſſe, eſſeque de ejus actionibus prudenter diſtinguendum. In eo enim, quòd Chriſtus factus ſit homo, erat utique Creatura, & quidem rationis particeps; & ex conceptione Beatæ Virginis illibatâ, accepit id, ut poſſet ſine peccato vivere: rogo nunc, annon tenebatur Chriſtus, ut homo, utque integer, efficere, ut legi divinæ, legi inquam morali, per omnia ſatisfaceret? Quod ni feciſſet, nonne Deo eſſet ἀνάξιος?

Præterea obſequium illud, quod tanquam Creatori creatura, Deo Chriſtus (de humanâ Chriſti naturâ diſertè loquor) præſtare, ut videtur, debuit; fuiſſe hoc certè nomine neceſſarium arbitror, ut dignus cenſeretur, qui eſſet nobis Meſſias; ut eſſet ejus in cruce Sacrificium pro nobis ſatisfactorium, noſtræque ſalutis meritorium. Si enim ipſe Chriſtus fuiſſet in ſe propriè peccator, quomodo, quæſo, poterat aliena peccata expiare? Hoc certè conſtat, conſcientiis judicio Dei perterrefactis haud adeò liquidò perſuaderi potuiſſe, Deum nobis, propter Jeſum (ex hypotheſi peccatorem) peccata dimiſiſſe.

Ex quibus videtur confici, à Deo nobis peccatorum veniam indulgeri propter merita ſolius mortis Chriſti, vitamque ejus integerrimam adeſſe quidem huic negotio debuiſſe quoad *præſentiam*, non verò quoad *meritum*; nec ulteriùs nobis in re Juſtificationis ſpectandam, quàm quòd exinde dignus & aptus factus fuerit, cujus Sacrificium eſſet, ſine labe, ſineque maculâ perfectum (id enim in Judæorum ſacrificiis, Illius typicis, cautum erat) valeretque apud Deum pro remiſſione peccatorum.

Ad hanc rem accommodatè omnia fidei Symbola, quæ à nativitate Chriſti, nullâ prorſus vitæ ejus mentione factâ, feſtinant ad πάθη; & apud Deum in Eccleſiâ noſtrâ ſingulis ferè diebus interpellimus, per *Agoniam tuam, & cruentum*

entum Sudorem, per Crucem & Paſſionem, libera nos, Domine.

Hoc ideo fuſiùs egi, ut Antinomianis noſtris irem obviam, qui flagitioſiſſimum illud dogma impuro ore haud verentur eructare, Activam Chriſti obedientiam ita nobis imputari, ut vinculum pietatis inde omnino ſolvatur, nec magis nos, quantum in nobis eſt, obligemur ad omnimodam ſanctitatem, quàm ad ſubeundos æternos gehennæ cruciatus; qui tamen cruciatus, quantum ad fideles, abolentur in cruce Chriſti: contra quod monſtrum, velis, quod aiunt, equiſque decertandum.

Hæc igitur de Chriſti meritis, quibus *pacem habemus apud Deum*, ita ſe habeant.

Sed inſidiantur hîc adverſarii, imo fucum ſibi fieri apertè clamitant. Pariter enim negant hi boni Viri obedientiam Chriſti paſſivam valere nobis apud Deum in Juſtificationem; quoniam, dicunt, Chriſtus fuit merus *Homo*. Et hoc ariete arbitrantur prædicta ſe hujus cauſæ munimenta facilè expugnaturos. Ego verò ii ne errent moneo, & deſinant laceſſere. Vos autem nunc, quam rem vitio dent, quæſo animum advertite. Chriſtus, inquiunt, eſt merus homo. Lentè; ego contrà ſimplici negatione reſpondeo, Chriſtum non eſſe merum hominem, ſed eſſe Θεάνθρωπον.

Non habeant pondus quæ dico, niſi audiamus oracula divina. *Sermo ille erat Deus*; filius Dei, modo ſibi præter cæteros peculiari; *Omnia per Sermonem facta ſunt. Deus Eccleſiam ſuam proprio ſanguine acquiſivit*, (*Act.* 20.) *Deus animam ſuam pro nobis poſuit*, (1 *Joh.* 3. 16.) Num hæc de mero Homine univerſa? Pudeat dicere. Cæterùm non eſt hujus temporis miſeros hos per flexiloquas, quibus ſe occultant, ambages, perſequi: ſufficiat modò rectæ & ſinceræ doctrinæ fundamenta monſtraſſe.

Si igitur Chriſtus ſit Deus (ut unde diverteram, eò redeam) conſequitur, quicquid pro nobis & noſtro loco, fe-

Fatemur etiam libenter, quicquid Chriſtus fecerit, ut Mediator, ad nos quoque ſuo ordine pertinere.

2. Videtur autem, Chriſtum non omnia, quæcunque fecerit, eo reſpectu propriè & per ſe feciſſe, eſſeque de ejus actionibus prudenter diſtinguendum. In eo enim, quòd Chriſtus factus ſit homo, erat utique Creatura, & quidem rationis particeps; & ex conceptione Beatæ Virginis illibatâ, accepit id, ut poſſet ſine peccato vivere: rogo nunc, annon tenebatur Chriſtus, ut homo, utque integer, efficere, ut legi divinæ, legi inquam morali, per omnia ſatisfaceret? Quod ni feciſſet, nonne Deo eſſet ἐνόχος?

Præterea obſequium illud, quod tanquam Creatori creatura, Deo Chriſtus (de humanâ Chriſti naturâ diſertè loquor) præſtare, ut videtur, debuit; fuiſſe hoc certè nomine neceſſarium arbitror, ut dignus cenſeretur, qui eſſet nobis Meſſias; ut eſſet ejus in cruce Sacrificium pro nobis ſatisfactorium, noſtræque ſalutis meritorium. Si enim ipſe Chriſtus fuiſſet in ſe propriè peccator, quomodo, quæſo, poterat aliena peccata expiare? Hoc certè conſtat, conſcientiis judicio Dei perterrefactis haud adeò liquidò perſuaderi potuiſſe, Deum nobis, propter Jeſum (ex hypotheſi peccatorem) peccata dimiſiſſe.

Ex quibus videtur confici, à Deo nobis peccatorum veniam indulgeri propter merita ſolius mortis Chriſti, vitamque ejus integerrimam adeſſe quidem huic negotio debuiſſe quoad *præſentiam*, non verò quoad *meritum*; nec ulteriùs nobis in re Juſtificationis ſpectandam, quàm quòd exinde dignus & aptus factus fuerit, cujus Sacrificium eſſet, ſine labe, ſineque maculâ perfectum (id enim in Judæorum ſacrificiis, Illius typicis, cautum erat) valeretque apud Deum pro remiſſione peccatorum.

Ad hanc rem accommodatè omnia fidei Symbola, quæ à nativitate Chriſti, nullâ prorſus vitæ ejus mentione factâ, feſtinant ad πάθημα; & apud Deum in Eccleſiâ noſtrâ ſingulis ferè diebus interpellimus, per *Agoniam tuam, & cruentum*

entum Sudorem, per Crucem & Paſſionem, libera nos, Domine.

Hoc ideo fuſiùs egi, ut Antinomianis noſtris irem obviam, qui flagitioſiſſimum illud dogma impuro ore haud verentur eructare, Activam Chriſti obedientiam ita nobis imputari, ut vinculum pietatis inde omnino ſolvatur, nec magis nos, quantum in nobis eſt, obligemur ad omnimodam ſanctitatem, quàm ad ſubeundos æternos gehennæ cruciatus; qui tamen cruciatus, quantum ad fideles, abolentur in cruce Chriſti: contra quod monſtrum, velis, quod aiunt, equiſque decertandum.

Hæc igitur de Chriſti meritis, quibus *pacem habemus apud Deum*, ita ſe habeant.

Sed inſidiantur hîc adverſarii, imo fucum ſibi fieri apertè clamitant. Pariter enim negant hi boni Viri obedientiam Chriſti paſſivam valere nobis apud Deum in Juſtificationem; quoniam, dicunt, Chriſtus fuit merus *Homo*. Et hoc ariete arbitrantur prædicta ſe hujus cauſæ munimenta facilè expugnaturos. Ego verò ii ne errent moneo, & deſinant laceſſere. Vos autem nunc, quam rem vitio dent, quæſo animum advertite. Chriſtus, inquiunt, eſt merus homo. Lentè; ego contrà ſimplici negatione reſpondeo, Chriſtum non eſſe merum hominem, ſed eſſe θεάνθρωπον.

Non habeant pondus quæ dico, niſi audiamus oracula divina. *Sermo ille erat Deus*; filius Dei, modo ſibi præter cæteros peculiari; *Omnia per Sermonem facta ſunt. Deus Eccleſiam ſuam proprio ſanguine acquiſivit*, (*Act.* 20.) *Deus animam ſuam pro nobis poſuit*, (1 *Joh.* 3. 16.) Num hæc de mero Homine univerſa? Pudeat dicere. Cæterùm non eſt hujus temporis miſeros hos per flexiloquas, quibus ſe occultant, ambages, perſequi: ſufficiat modò rectæ & ſinceræ doctrinæ fundamenta monſtraſſe.

Si igitur Chriſtus ſit Deus (ut unde diverteram, eò redeam) conſequitur, quicquid pro nobis & noſtro loco, fe-

cerit & paſſus ſit, infiniti eſſe precii & valoris, & impetrare Fidelibus delictorum veniam.

Ideo enim opus nobis erat Mediatore & Redemtore, quia animo pervicaci plenâque voluntate Dei legem nefariè violaveramus; Dei, inquam, præter omnes limites maximi, deque nobis optimè infinitè meriti. Adeò ut ipſi nos, pro nobis, Deo miſeri ſatisfacere nequivimus, cùm eſſemus peccatis undique contaminati, viles creaturæ, vitæque hujus uſurâ indigni.

Cùm verò ille, qui iræ ſe Dei pro nobis objecit, ſit idem Deus & Homo, ideo quilibet ejus humiliationis pro nobis & exinanitionis actus, & cum primis ſubjectio ejus ad mortem crucis, exiſtens ipſius Dei humiliatio, valorem quidem ſibi inæſtimabilem acquiſivit ex dignitate Perſonæ, ſitque ſupra omnem modum ſatisfactorium.

Et licèt homines iniquè curioſi, quibus religio eſt lites movere in Eccleſiâ, & rixari magis quàm bene vivere, moleſtè exagitent hunc locum de Satisfactione Chriſti, doloſque callidè nectant veritati; habet tamen hæc doctrina pro fundamento Petram, contra quam fruſtra inſurgent machinationes gehennæ: & quamvis in leviſſimâ quâque circumſtantiâ harum rerum modum aſſequi non liceret, (licet verò, quantùm id Deus requirit, viris doctis; ſuos enim habet certos characteres veritas,) præponderarent tamen facilè apud me prædicta momenta rationum, omnino crederem Satisfactionem Chriſti, in Chriſto ſpem unicam ſalutis ponerem: cùm & ipſe Chriſtus in cruce pendulus Spiritu extremo, verbiſque ultimis exclamet, *Conſummatam* eſſe redemtionem noſtram; & ipſe clementiſſimus Pater me in re ſalutis remittat ad Filium, ſe quaſi digito in dilecto ſuo Filio acquieſcere demonſtrans.

Quæ non meras eſſe voces, & præterea nihil, invictè nobis probant res geſtæ Filii; Filii de morte & tenebrarum poteſtate gloriosè triumphantis, de ſepulcro ſuâ virtute reſurgentis, in cœlos raro ſpectaculo aſcendentis, ad ſummi

mi Dei dextram, ſedem pro ſuo jure capeſſentis, Spiritum inde Sanctum in Diſcipulorum corda, miro planè & inaudito more demittentis; Evangelium denique ſuum per totum terrarum orbem, contra vehementiſſima Satanæ molimina, iniquiſſimaſque crudeliſſimorum Tyrannorum oppugnationes, diſſeminantis.

III. Cùm igitur de Pacis noſtræ causâ meritoriâ dictum ſit ſatis, ad *Conditionem*, quam à nobis requirit Deus, ut propter filium acceptemur, jam tandem devenio. Quæ, cùm non levis momenti res ſit, veniam, ſpero, dabitis, Auditores æquiſſimi, ſi ita hîc ſtudebo veritati, ut ne fiam obſcurus.

Eſt autem hæc conditio *Fides: fide enim juſtificati pacem habemus apud Deum.* Quâ de re graves ſemper controverſiæ exercuêre Eccleſiam. Sed cùm variæ ſint nominis Fidei acceptiones, ad eam, quæ ad inſtitutum meum magìs pertineat, cæteris omiſſis, me ſtatim accingam.

Non igitur de Fide Humanâ agam; ſive ad aſſenſum propoſitioni propter humanum Teſtimonium ſpectet, ſive veritatem in dictis aut factis ſignificet: nec de Fide Divinâ, quæ ſumitur pro doctrinâ Fidei (pro Fide quæ creditur) nec tandem pro Fide Miraculorum, quæ viris non renatis obtingere poſſit; (*Matt. 7. 22.*) Sed de Fide juſtificante, & de iis quæ ejus explicationi, ut opinor, inſerviant.

Quæ ut locum apud vos feliciùs habeant, de hujuſce Fidei naturâ altiùs paulò videtur inveſtigandum. Hanc autem Fidem, non eſſe habitum unum, numero ſimplicem abſolutè, nec in uno eſſe ſubjecto autumo; ſed eſſe Aggregatione unum, & quodammodo compoſitum ex duobus, ſitumque in duabus Potentiis (ut plerique exiſtimant) genere diſtinctis, Intellectu ſcil. & Voluntate.

Eâdem regulâ, quâ Fidei habitus, ejus item actus judicandi.

Prior pars Fidei intellectûs eſt, & vel pro Habitu, vel Actu

 accipitur:

accipitur: ut pro habitu, eſt habitus immediatè à Deo infuſus, inclinans intellectum ad aſſentiendum veritatibus revelatis: ut pro actu, eſt Fides Divina, qua firmiter aſſentimur omnibus, quæ Homini in ordine ad ſalutem Deus in verbo ſuo patefecit; ſed præſertim promiſſionibus ſalutaribus in Chriſto factis, iis, qui verè reſipiſcunt & credunt Evangelio.

Ne verò feneſtra Enthuſiaſmo aperiatur in eo, quòd Fidem hanc appello Divinam, quaſi gradibus hîc quibuſdam progrediendum.

1. Aliqualem conſtat verborum, tum & rerum cognitionem, eſſe Fidei præmittendam. Sciendum enim eſt quid ipſi ſignificent propoſitionis termini, antequam eam affirmare vel negare, aſſentiri vel diſſentiri poſſimus; aliter, quid agimus, neſcimus.

2. Et id ſumendum, Fidem (revelatarum veritatum) hiſtoricam, eſſe Fidei juſtificantis partem eſſentialem; quæ niſi præcedat, lætæ promiſſiones Evangelii habeantur neceſſe eſt pro rebus fictis; & tunc Chriſtus cum ſuis beneficiis non poſſet in animum ſeriò & cordatè recipi, nec homo ad vitæ ſanctimoniam putaret ſe teneri, tanquam ad medium, ad illum finem neceſſarium.

3. Hoc etiam (3^tiò) annotandum, Fidem hanc hiſtoricam Acquiſitam, quod etiam priùs innueram, plerumque præcedere neceſſariò Fidem hiſtoricam Infuſam. (Fidem autem appello Hiſtoricam, quæ habet res factas pro objecto.) Deus enim verbum ſuum nobis immediatè non revelavit, nec nos hiſce oculis illa vidimus miracula, quibus freti θεόπνευσι, eorum doctrinam demonſtrarunt cœlitùs profectam; ſed habemus hæc è Prophetarum, Evangeliſtarum & Apoſtolorum libris, per Traditionem ad nos uſque derivata, eamque quidem univerſalem, perpetuam, iiſque nobis commendatam circumſtantiis; ut qui non crediderit, ſuâ ratione abuti evidenter convincatur, utque ſit, ſi ſibi conſtet, iſtis omnibus in rebus incredulus, quæ ipſe non viderit;

quo

quo quid, quæso, absurdius fingi aut excogitari potest? Imò, quod est huic rei caput, si testimonium Ecclesiæ de hujusmodi rebus nos falleret, eò impietatis adigerentur meritò homines non impuri, ut de Dei veritate & bonitate dubitarent, (viris optimis & sapientissimis, ex hoc concesso, errori in maximi re momenti subjectis) in quâ ipsâ dubitatione inest facinus. Quantò altiùs hîc sapuit, vel in mediis fabulis, Poeta Gentilis,

Οὐ μὲν ἐπὶ ψεύδεται πατὴρ Ζεὺς ἔστε ἀρωγός. Homer. Il. Δ.

ut mirum sit nostri ævi Scepticos in tam manifestâ luce caligare. Fides igitur, hactenus, est humana, & actus mentis rationalis, & discursivus, rei alicui assentientis, propter evidentiam aliquam, seu rationem, nos moventem ad assentiendum: ita resolutio nostræ Fidei est in ea argumenta, propter quæ assentimur hoc, vel illud, testimonium esse divinum.

Et hoc jure quidem merito credebatur de doctrinâ Christi & Apostolorum ab iis, qui oculati erant testes miraculorum eorum, quæ ediderant: nec potest à nobis ipsis liquidò denegari, cùm universalis Traditio sit idem nobis, quod illis Sensus. Nam illi sensuum prærogativâ hoc solùm consecuti sunt, ut de iis rebus certiores essent, quibus rebus moti impellerentur ad credendum; idemque nobis officii præstat hodie Traditio, estque firmissimum nobis in hâc causâ argumentum, moraliterque infallibile: nec in propriâ materiâ minùs certum, quàm in suâ, Physica, Mathematicave demonstratio. Monet autem (*Aristot.* Eth. l. 1. c. 3.) in Ethicâ, sæpiùs, & alibi Philosophus, evidentiam esse πρὸς τὴν ἑκάστου μέθοδον ὕλην spectandam, nec esse τὸν παιδεύσιμον τὸ ἀκριβὲς ὁμοίως ἐν ἅπασι τοῖς λόγοις ἐπιζητεῖν.

Sedulò igitur ad Motiva, quæ dicuntur, credibilitatis attendendum. Ex quibus profecta Fides acquisita historica, suo sensu, etiam divina, & gratia Theologica nuncupari poterit; quatenus nimirum habeat pro objecto res divinas,

& quatenus reſolvatur etiam ultimò in Teſtimonium Dei, ad nos (ut priùs) per Traditionem derivatum; Traditionem, inquam, in Eccleſiæ incunabilis à viris inſpiratis profectam, & in ſequioribus ſeculis certam, moraliterque infallibilem.

Pergo autem. Ex autoritate Eccleſiæ traditas nobis Scripturas in manus ſumimus. Quæ autoritas eſt, ſi Chriſtianorum vulgus reſpexeris, ſaluberrima. *Pauci enim* (auditis S. *Auguſtinum*) *ad rationes percipiendas apti.* Et deinde ——*Sola*, inquit, *eſt Autoritas, quæ commovet ſtultos, ut ad Sapientiam feſtinent. Auguſt.* Lib. *de utilitat. credend.* Tom. 6. *Antwerp.*

Cùm verò has Scripturas, ita ab Eccleſiâ acceptas, eo, quo oportet, modo evolvimus, ὡ τοῖς πολλοῖς ἀκολουθητέον. *Ariſt.* Eth. ad *Nic.* l. 1. c. 8. (quod in omni re requirit Philoſophus, cujus finis, ὡ γνῶσις, ἀλλὰ πρᾶξις) millia ex eo tempore argumenta confirmant Fidem noſtram, etiam provocant; quibus ſi accedant ardentes precationes, legitimuſque uſus mediorum gratiæ; Deus tandem ſuum nobis Spiritum largitur, noſtramque Fidem, humanam adhuc & acquiſitam, magis magiſque firmat, eamque demum evehit & extollit in infuſam & Divinam.

Quod tamen Auxilium divinum non format in nobis novas, & in ſacris Literis inauditas propoſitiones; (hæc eſt Helena illa, de quâ adeo digladiantur Enthuſiaſtæ.) cave id dixeris, (lumen enim objecti revelati eſt Teſtimonium divinum,) ſed opem fert intellectui, quâ adjutus veritatibus revelatis aſſentiri jam poſſit; idque facit Deus, partim amovendo impedimenta, & partim, tum illuminando, tum corroborando ipſam facultatem, & aliis infinitis, nobis quidem occultis modis.

Hanc ipſam Fidem promittimus in Baptiſmo: Quomodo, dicitis, ſi infuſam? Id quod poſſumus promittimus, cætera Deo patri noſtro committimus. Eſtque hîc tenendum illud Suarezii, Lib. *de triplici Virtut. Theol.* Diſp. 1. S. 1. p. 5.

Fidem

Fidem divinam non comparari ſine aliquo miniſterio, & quaſi, adjutorio humanæ fidei, id eſt, communi & ordinario modo itemque illud, quod omnium (credo) ſanorum Theologorum calculum jamdiu obtinuit, *Habitus infuſos comparari ad modum acquiſitorum.*

Et hæc de Fide, quatenus ſubjicitur Intellectui, dicta ſunto. Nunc de ejus naturâ, prout ſedem in Voluntate habet, paucis videndum.

Ad hanc autem (ut id jam vobis in mentem revocem) neceſſariò prærequiritur Fides in intellectu, ut res à Deo revelatas, naturaliterque ignotas ſiſteret voluntati, ad quam, in hujuſmodi objectis, ſe habet ut cognitio; aliter non omnino moveretur voluntas, cùm non feratur in incognitum.

Poſtquam igitur Fides promiſſiones fidelibus factas de ſalute in Mediatore, Filio Dei, (ut generaliùs diſputata in inſtitutum meum jam accommodem) quaſi firmiter veras, & infallibiliter certas propter evidentiſſimas rationes voluntati propoſuit; exſurgit ferè in voluntate alacer vividuſque motus (vocamus amorem, deſiderium) erga divina beneficia, modo, quo poſuit Deus, obtinenda; ex quo, ſeduló inveſtigamus voluntatem Dei, ſerióque ei & conſtanter cum ſummo animi ardore morigeramur.

Hujus autem in Voluntate Fidei, Deum etiam, piis animis, agnoſcimus autorem. 1. Enim gratiâ ejus prævenient, cordibus noſtris bona deſideria ingerit. 2. Indomitos nobis affectus eatenus ſuo ſpiritu ſubjugat, ut ferè poſſimus illa deſideria ad bonos fructus perducere.

3. Et ne ſemel hæc feciſſe ſit parùm, non ſtatim miſeros nobis nos derelinquit, ſed cum paterno (eoque cœleſti) amore ſuos in nobis motus millies iterat, perpetuò nos exſtimulat ad bene agendum, & multis ſecretis nobis viis & modis, flectit miſericors reluctantes ad pietatem, erigitque labentes,

labentes, per maximi ponderis & momenti rationes.

Ponenda autem eſt hîc vigilantiſſimè & ſummâ curâ cautio, ne ita Dei gratiam interpretemur, ut cum officio humano parùm conſtet. Gratia enim Dei (nequid erremus) non operatur in nobis irreſiſtibiliter, aut neceſſariò, ut Sol illuminat, urit ignis.

Hæc opinio eſt nullo modo in Religione ferenda: non, inquam, neceſſariò agit gratia Dei, ſed moraliter, quum curâ noſtrâ & induſtriâ excitatur, fovetur, actuatur: cùm officii noſtri memores, Cœlum, & Infernum, ſæpiùs nobis ob oculos ponamus, fugiamus à venturâ irâ, nitamurque ad ſuperna; Deumque aſſiduò oremus, ut Gratia ejus adſit nobis per totum vitæ curriculum perpetua: *Præveni nos, Domine, in omnibus actionibus noſtris—— Credo, Domine, ſuccurre incredulitati meæ*; & cum Apoſtolis, (*Luc.* 17.) *Domine, adde nobis fidem.*

Hi ſunt veri motus, & legitima ſuſpiria Chriſtiani hominis, ſe nihil in religione ſine Deo poſſe ex intimis præcordiis agnoſcentis, & Dei opem indefeſſo conatu efflagitantis.

Ad hunc ſenſum appoſitè *Hieronymus* (in *Pſalm.* 107.) ubi enarrat obiter hæc Apoſtoli verba, *Non eſt volentis, neque currentis; ſed miſerentis Dei.—Videte*, inquit, *quid dicat: Non ait, Non eſt jacentis, neque dormientis; ſed miſerentis Dei. Si ergò non voluerimus, & cucurrerimus, Deus nobis nihil proderit. Noſtrum eſt velle, & currere, Dei autem miſereri.*

Nec dimoveri nos ab hâc ſententiâ ſinamus, per objectiunculam, quæ eſt in ore omni populo; Salutis noſtræ gloriam à Deo hâc ratione ereptum iri, ipſiſque nobis tribui.

Nullo, inquam, pacto: Dei enim donum eſt ipſa recta ratio: hæc autem ratio eſt illud generale inſtrumentum, cujus auxilio res noſtras omnes, etiam ſpirituales, dirigimus & adminiſtramus. Si aliter ſe res haberet, non tanquam homines ageremus; & quamvis ipſa, per ſe, ratio ad objecta

jecta ſpiritualia non pertingat, receptiva tamen cùm ſit lucis Fidei, propter eas rationes, quas ad aſſenſum ejus eliciendum ſufficientes ducit, hinc id, quod modò dixi, eluceſcit; hominem in Religionis negotio, modo agere rationabili, tendentem ad propoſita præmia, & fugientem denunciatas pœnas. Quod ni fecerit, Dei gratiam fœdè deſerit, ſibique deeſt, & in ſudario ingratè talentum ſuum ſeponit: ſi verò fecerit, non magis homini debetur eo nomine honor, quòd non impiè interrumpat vitam ſpiritualem, quàm illi (detur venia familiariter loquenti) qui per ingenitam ſibi φιλαυτίαν non evadit Felo de ſe. Hîc ergò locum omnino habet pervulgatiſſimum illud, Qui te fecit ſine te, non ſervabit ſine te.

His ita de Fide diſputatis, deſcendo nunc ad ea, quæ quidem prædictis firmamentis innituntur, ſunt tamen meo propoſito conjunctiora, & aptiora.

Quæ quidem quatuor hiſce partibus abſolventur. 1. Deſcribenda eſt Fides juſtificans. 2. Objectum ejus ponendum. 3. Probandum hanc Fidem eſſe quidem virtutem, ſed non ſpectari ut ſingulam, & ſolitariam, in negotio juſtificationis; ſed ut plenam novi fœderis conditionem, univerſam (id eſt, quantum in nobis ſitum eſt) perfectam, & ſinceram pietatem. 4. Objectionibus quibuſdam primariis occurrendum. Et hæc omnia, quantùm poſſum, pauciſſimis.

1. Igitur Fides juſtificans, eſt virtus Evangelica, quæ libenter excipit, & (utriſque quaſi ulnis) amplectitur totum Chriſtum: illum habet pro Meſſiâ & Mediatore quem nobis prænunciârunt Prophetæ, demonſtrârunt Evangeliſtæ, quique in Symbolis Veterum deſcribitur, in eoque firmiter credit remiſſionem peccatorum; breviter, quæ Dei in unigenito Filio ſalutares promiſſiones unà ſumit cum annexis novi Fœderis conditionibus, Fide & Pœnitentiâ.

Non eſt ergò Fides opinio de juſtificatione jam habitâ: hæc enim ſequitur quidem ferè juſtificatum, nunquam verò præcedit juſtificandum. Nec certè fides mutat rerum natu-

mus. Non enim ideò sequitur me justificari, quòd ita credam, sed credens me justificari, ideò verè credo, si reverâ justificer. Accedit, quòd hæc persuasio, *Credo me justificari, ergo justificor*, potest, imò solet, non justificatis competere, unáque cum Pharisaicâ hypocrisi, Epicureâque securitate consistere; quod quidem de verâ Fide, vel suspicari nefas. Nec secundò Fides justificans est merus intellectûs assensus, Dei in filio promissis, tanquam veris: id si sit, quid impediat, quò minùs *Origenis* illud de ipsorum Dæmonum salvabilitate figmentum (de quo ita exagitatur apud Orthodoxos) sit verum? Nisi quòd Dei promissa non pertineant ad Dæmonas. Talis autem fides, mortua apud S. *Jacobum* dicitur, negaturque valere ad salutem.

2. Objectum nunc hujus Fidei ponendum: estque totus Christus, in omnibus suis officiis acceptus, prout est Dominus, Propheta, Sacerdos.

Si uti Regem respicias & Dominum, imperat, & in cordibus suorum regnat, prospicit Ecclesiæ suæ, prosternitque hostes: Ut Propheta, certiores nos fecit de voluntate Patris, cui morigeri gratiam apud eum inveniemus: ut Sacerdos denique (quod adhuc credo potissimùm in Fide justificante spectari) obtulit se Christus hostiam pro peccatis mundi, & meritorum suorum virtute interpellat indesinenter apud Deum pro fidelibus. Cedit ergò fides salvifica autoritati *Regis*; discit, meditatur, implet præcepta *Prophetæ*; confidit etiam in rebus gestis *Sacerdotis*, tanquam Deo acceptissimis, nobisque meritoriis. Denique hæc (ut dignoscatis esse justificantem & salvificam) non ita ullum accipit Servatoris officium, ut sit cum præjudicio cæterorum: neque enim illa Fides Deo placere potest, quæ eo sensu salutem sperat, ut non unà contineat & amplectatur conditiones Evangelicas.

3. Accedo jam ad tertium, Fidem scil. esse quidem aliquam virtutem, sed in justificatione, non spectari ut singulam & solitariam, sed ut universam pietatem.

Primò

Primò igitur Fides juſtificans eſt ipſa aliquid, eſt opus partim (imò in totum, quatenus præcipit eam nobis Deus) noſtrum; eſt virtus, & obedientia legi divinæ præſtita, eodem planè modo quo cæteræ virtutes. Niſi eſſet, ridiculum cum primis eſſet hanc tam operosè nobis in novo Teſtamento præcipi. Familiam quidem ducit, eſt verò ipſa virtus.

Primò enim implicatur, & continetur in ipsâ Dei miſericordiâ & promiſſo præceptum ejuſdem Dei ut credamus; & ideo obligatio ad Fidem. Habet inſuper Fides expreſſum mandatum in Evangelio, hoc etiam mandatum, munitum præmio, munitum pœnâ, pari ratione cum cæteris virtutibus. *Credite Evangelio* (*Mar.* 1. 15.) *Hoc eſt præceptum Dei, ut credamus nomini filii ejus Jeſu Chriſti*; (1 *Joh.* 3. 23.) *Credentes vitam habebitis in filio Dei*, (*Joh.* 20. 31.) & (*Mar.* 16. 16.) *qui non crediderit condemnabitur.* Laudat etiam, & elogiis ornat Servator noſter ſuorum Fidem, perſtringit incredulitatem; *Beati*, inquit, *illi, qui crediderunt & non viderunt*, (hujus, ſpero, loci & temporis fideles.) *O vos tardi fide, qui non illis credidiſtis, qui me poſt Reſurrectionem viderunt!* — *Nolitis ad me venire, ut vitam habeatis.*

Ex quibus omnibus elucet id, Fidem eſſe virtutem, quam Deus à nobis exigit, & quam illi præſtare (per ejus gratiam) poſſimus, & teneamur præſtare, ut ille viciſſim favore ſuo nos ſuſcipiat, & recreet; & quam ſi non præſtiterimus, perîmus.

Quàm peſſimè igitur Religioni conſultum illi volunt, qui faciunt Fidem merum nihil, vel qui negant eſſe opus noſtrum, Dei opus in nobis, ſine nobis, ſtatuunt, eſſeque ab ultimis retro ſeculis huic, vel illi credenti, immobili fato fixum, & inconditionaliter prædeſtinatum? Si purè paſſivi ſumus in Fide, ad quid, per Deum immortalem, præcepta Fidei, tamque ſerius legum moralium apparatus? Ad quid monita, minæ Dei? Cur uſui Cœlum, Infernum, utrumque æter-

æternum? Ridicula universa, & inanes sine mente soni. Homo enim non magis movetur his (ut cum Poetâ (*Virg. Æneid.* l. 6.) loquar)

Quàm si dura silex, aut stet Marpesia cautes.

Apage ergo hanc pestem, quæ omnia inficit, fœderis divini naturam evertit, totum Evangelium corrumpit & depravat, facit hominem stipitem, Deumque (quod hanc blasphemiam numeris omnibus absolvit) etiam in tribunali injustum; & quæ non tam requirit λόγον quàm κίνημα.

2. Hæc autem Fides justificans, licèt sit virtus, non tamen est hîc spectanda tanquam solitaria, à cæteris distincta & divulsa virtutibus, sed quæ è Fide (strictè sumtâ) Spe, & Charitate sit coagmentata, adeóque per aggregationem una. Alia quidem Veterum ferè omnium Reformatorum fuit sententia, sed rectam hujus doctrinæ dextramque explicationem vix, arbitror, ab illis petendam. Veruntamen lubens fateor, illis præclaris viris (sine quibus vita nobis hujusce diei haud esset vitalis) laudem esse tribuendam, quòd doctrinam Christianam ab errorum sordibus fermè in integrum exemerint; dandamque iis veniam, si fortè paucula posteris emendanda reliquerint. Ab illis igitur provocamus ad recentiores Reformatos, qui in tractandâ Fide, rectiora nobis & explicatiora dedêre.

Fides ergò justificans non est, inquam, solitaria virtus, sed complectitur in suo gremio omnes, nec unquam (ubi detur opportunitas) sine pulcherrimo reliquarum comitatu incedit. Seipsum, in aliis locis, S. *Paulo* explicare liceat. (*Gal.* 5. 6.) *In Christo Jesu, nihil valet nisi fides per charitatem operans*; & alibi, *Nihil nisi nova creatura*: hinc illa ejusdem *Pauli* monita, *Abscedat ab iniquitate, quisquis nominat nomen Christi: Tantùm ut convenit Evangelio Christi, vos gerite.* Ita de *Zacchæo* archipublicano, post ejus confessionem, *Ecce dimidium meorum bonorum do pauperibus,*

bus, pronunciavit ſtatim Salvator Chriſtus, *Hodie ſalus huic domui contigit, eò quòd ipſe quoque eſt filius Abraham.* Infinitus eſſem, ſi per omnia irem: & optimi Auditores probè norunt, hujuſmodi teſtimonia utramque Scripturæ paginam complere.

Sed excipiunt hîc adverſarii; non, aiunt, negamus præſentiam bonorum Operum in juſtificatione, juſtificandi tantùm munus illis adimimus, ſolique Fidei vindicamus: uti videmus quidem oculis & manibus, ſed ita, ut manus non videant.

Eſt quidem aliquid prodire tenus.

3. Igitur S. *Scriptura* aliis etiam, præter fidem, virtutibus juſtificationis munus tribuit, Pœnitentiæ, Charitati, Spei item, Sacramentis, Precibus. Ita autoritate ipſius Jeſu (*Luc.* 24. 47.) *Prædicabatur reſipiſcentia ac peccatorum remiſſio, apud omnes gentes.* Et S. *Petrus* (*Act.* 3. 19.) *Reſipiſcite, ut deleantur peccata veſtra. Remiſſa ſunt illi peccata ipſius, quæ erant multa: nam dilexit multùm.* (*Luc.* 7. 47.) *Si non remiſeritis hominibus ipſorum offenſas, nec Pater veſter remittet vobis offenſas veſtras:* & ideo precamur quotidie in Oratione Dominicâ, *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus*—— & magno virorum doctiſſimorum conſenſu obſervatum video, Dominum veniam jam ſuo ſervo conceſſam, propter charitatis defectum revocaſſe, ut in Parabolâ habemus, *Matt.* 18. Hanc verò Parabolam ſic claudit Servator noſter; *Ita*, inquit, *& pater meus cæleſtis faciet vobis, niſi remiſeritis ſuo quiſque fratri ex cordibus veſtris offenſas eorum.* Quorſum vero hæc, ſi quæratis? Non ut de ſede ſuâ deturbetur Fides: longiſſimè abſit ea blaſphemia: ſed ut unà cum illâ collocentur cæteræ virtutes; uno verbo, non ſine hâc illæ placent, nec ſine illis hæc.

4. His adjungi & id poſſit, tanquam invictiſſima cauſæ meæ demonſtratio, & ſuâ luce longè latéque fulgens, Deum, in judicio ultimo vivorum & mortuorum, operum noſtrorum rationem unicè habiturum: quod tam ubique occurrit

in Novi Testamenti libris, ut non erit necessarium testimonia adducere. Potiùs id monebo; cùm judicium hoc extremum, finalem Dei, de hominibus salvandis & damnandis, sententiam contineat, hujusque sententiæ executionem; nolit certè justissimus Deus in eo administrando suæ de hominum salute doctrinæ contra ire.

Hæc mihi videntur (Academici) efficere, Fidem justificantem, non esse solam aliquam, aut unam virtutem, sed totam potiùs novi Pacti conditionem, id est universam (Evangelicam velim, & sinceram) pietatem.

IV. Sed insurgunt contrà hostiliter adversarii, multaque objectiones adversus hanc doctrinam vehementer torquent, à quibus non diligenter cavere, nimiæ esset securitatis, fastûsque non ferendi.

Has ergo principes breviter ponam & convellam.

1. Et quidem in primâ stat acie illud, quod militat autoritate S. *Pauli*, ejus verba arripit & mordicùs tenet. (*Rom.* 3. 28.) *Fide justificatur homo, sine operibus legis*: & (*Rom* 4. 5, 6.) imputatur Fides ad justitiam; &, *Beatus ille, cui Deus imputat justitiam absque Operibus.*

Specie quidem hæc directè feriunt meam Thesin, videamus quàm id revera faciant: & sanè fatendum est, illi, qui hoc telum propulsare commodè poterit, illi, inquam, licere in hâc causâ triumphare.

Confero ergò manus.

Hujus autem objectionis duplex videtur vis. Adeò ut dispiciendum. 1. Cur Fides omnem indigitet pietatem. 2. Cur Fides sola, & sine operibus, imò operibus opposita, non sit planè exclusiva operum nostrorum. Utrumque considerabo.

1. Designat autem omnem religionem Fides, quoniam est quidem in religione penè Ordine prima, & versatur circa Dei promissiones, modo sibi præter cæteras virtutes proprio; est etiam caput, fons, radix cæterarum virtutum;

& alias absque hac virtute Deo non placere, imò peccati rationem habere accepimus; nec video quomodo ipsa Poenitentia (Evangelica certè novique fœderis gratia) cum Fide miris modis implicita & involuta, expediri commodè sine Fide queat.

Cùm verò necesse sit, ut id ordine primum, habeat sibi aliquid sequax & secundum, cùm ipsa Fides absque amore non salubriter versetur circa promissiones Dei, cumque sine membris caput, sine rivis fons, sineque ramis radix, monstri similia sint & inutilia; hæc faciunt, ut ne à suis operibus divellatur Fides.

2. Nec est in divinis literis sine exemplo novum, ut eximia una aliqua virtus, honoris causâ, pro virtutum cumulo ponatur. Id enim familiariter nobis legentibus sistit se obviam in iis locis, ubi timor, amor Dei, Sapientia, Justitia, suiipsius abnegatio, universam pietatem sonant, & connexas sibi virtutes unà connotant.

3. Quin & id admodum facit in rem nostram. Est vobis pro comperto, externa pietatis exercitia imperatos plerumque voluntatis actus appellari; nec mirum est, si hi, si etiam interni & eliciti voluntatis actus propinentur nobis, apud sacras literas, in verbo *Fidei*, quæ quidem (si strictè propriéque sumas) nudum intellectûs assensum significat; cùm sit hæc notissima interpretationis regula, Verba intellectus connotant affectum. Hoc Sermonis idiomate usi sunt primò Hæbræi, à quibus id mutuati Græci, Latini, cæteræ (credo) gentes. Ita ἀπιστία incredulitatem, & inobedientiam æquo jure significat; ἀκούω, audire, obedire. Eodem modo, in transfiguratione Christi, postquam illi Deus luculentissimum testimonium præbuisset, his cum verbis discipulis commendavit, αὐτοῦ ἀκούετε: quid illum tantùm auditis? Imò verò illi auscultate, morem gerite, vos illi totos date. Ita Latini, *si me audies*. ——Similiter in nomine Fidei, cum Fides congruè possit, & jure debet informare voluntatem ad pietatem & inflammare, licèt in specie quidem solius intellectûs.

intellectûs actum exprimat, re tamen ipsâ & ex ſacri Sermonis uſu, convenientes elicitos, & imperatos voluntatis actus ut plurimùm conſignificant.

Accedo jam ad id, quod magìs urget, Fidem nimirum in juſtificatione eſſe ſine operibus ſolitariam, imò etiam operibus oppoſitam. At quibus, per Deum! operibus? Non certè pietatis, non ipſius Fidei operibus.— Nuſquam id aſſerit Sanctus Apoſtolus; imò hujuſmodi opera unicè, ferè perpetuò urget & ſua autoritate ſancit: ſed de operibus Legis, quando opera Fidei opponit, nominatim loquitur.

Videndum igitur eſt quid ipſa ſibi hîc velint *opera legis*. Significant autem (1.) obedientiam omnibus numeris abſolutam, & omnino perfectam, adeóque meritoriam, quam præter unum Chriſtum, nemo hactenus præſtitit, nemo in poſterum præſtiturus eſt. Hæc fuit vox legis, (*Gal.* 3. 10.) *Execrabilis quiſquis non manſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis, ut faciat ea:* & *nulla erat lex, quæ vitam largiri poterat.* Lex enim, ſi ejus vim quæras, nihil aliud eſt quàm nuda regula officii, eaque rigida & inflexilis, nec ullam delinquentibus gratiam facit, neque veniæ promiſſiones continet. Ergo *quotquot ex operibus legis ſunt* (*Gal.* 3. 10.) *ſub execratione ſunt; omnes enim peccavimus.*— Si igitur plena legis obſervatio, ut terminus juſtificationis, à nobis per Deum requiratur, actum eſt omnino de nobis, & de ſalute conclamatum. Lætiora ergo his ſubſternit Apoſtolus, fidem in Jeſum; cujus gratiâ, graviſſima nobis peccata condonaret Deus, & pro plenâ ac perfectâ, mutilam & imperfectam (modò ſinceram) toleraret, imò cœleſti præmio dignaretur, obedientiam.

2. Per opera legis intellexit Apoſtolus, opera Legi Cæremoniali præſtita; Circumciſionem nempe, Sacrificia, Lotiones, Dierum & reliquas ejuſmodi obſervationes: quæ ſub Evangelio adeò nihil proficerent, ut etiam valdè nocerent. *Dico vobis*, inquit Apoſtolus (*Gal.* 5. 2, 3, 4.) *Si circum-*

circumcidamini, Chriſtum nihil vobis profuturum. Teſtor enim rurſum omni homini, qui circunditur, eum eſſe debitorem totius legis ſervandæ. Et ob hanc maximè rationem tam exitialis fuit legis hujus cæremonialis obſervatio, quia cùm hæ cæremoniæ typicæ ferè eſſent olim venturi Meſſiæ, & omnes typi in uno Chriſto abſolutiſſimè adimplerentur; quid eſſet aliud in his diutiùs hærere, quàm denegare jam veniſſe Meſſiam? Quod tamen hodiernis (eheu!) viſum eſt judæis: Adeò verò nihil, ne minimum quidem iôta, de lege morali decedebat per Meſſiæ adventum, ut firmârit eam ſuâ autoritate Chriſtus, eamque nobis vel perfectiorem, vel ſaltem explicatiorem dedit. Et quod addi his poſſet, beneficia novi fœderis acriores in ſe continent ad pietatem ſtimulos quàm admoverit Lex; & miſeret me illius hominis, qui Chriſtianum ſe profeſſus, Phariſæorum juſtitiam, morum ſuorum integritate non facile exuperat.

Ne multa: in prædicatione Evangelii agendum fuit Apoſtolis cum Gentilibus & Judæis. Illi rationem & civiles ſuperſtitiones vel à Philoſophis, vel ab Imperatoribus acceptas, unicè jactabant: Judæi autem vel ſoli *Moſi* inhærebant, (*Joh.* 9. 29.) vel eum unà cum Chriſto conjunxerunt. (*Act.* 15. 1.) *Quidam ex Judæâ docebant Fratres, niſi circumcidamini ritu Moſis, non poteſtis ſervari.* Tum horum, tum illorum errori ſe opponit Apoſtolus, reducit utroſque in viam, oſtentatque Meſſiam. Sed tantùm abfuit, ut per fidem elevaret pietatem, ut credo, illi ne in ſomniis quidem unquam id veniſſe in mentem. Si verò hæc de Fidei operibus non tam lucidam explicationem admitterent, conſentaneum tamen eſſet conſilii Sancti *Petri* meminiſſe, ubi monet (2 *Pet.* 3. 16.) in omnibus ferè *Pauli* Epiſtolis nonnulla occurrere δυσνόητα, & hanc de Fide ſine operibus juſtificationem in hâc claſſe reponere; æquumque eſſet (ne loca S. *Scripturæ* adverſis inter ſe frontibus iniquè concurrerent) obſcura & ambigua per clariora & ſimplicia interpretari: quod & nos in Articulo *Juſtificationis*, ſincero

ſaltem conatu, & bono animo, perſecuti ſumus. Imò id rectè fecimus; nacti ſcilicet S. *Pauli* interpretem divinitùs inſpiratum S. *Jacobum*, qui apertis verbis, idque poſt præmiſſam argumentationem ita concludit (*Jac.* 2. 24.) *Videtis igitur ex operibus juſtificari hominem, & non ex fide tantùm.* Quibus verbis manifeſtè detraxit hypocritis larvam ſuam, *Pauli* mentem dilucidavit, docuitque opera legalia, non pietatis, eſſe Fidei repugnantia. *Jacobus* autem verè dictam juſtificationem intellexit, talem nempe, ut ex verborum ejus ſerie conſtet, per quam, poteſt quis ſervari, eſſeque amicus Dei.

Ad hanc rem pleniſſimè *Auguſtinus* (Lib. de *Fide* & *Operibus* Tom. 4°. *Antverp.*) cujus verbis hanc claudo reſponſionem. *Quoniam*, inquit, *hæc opinio* (De fide ſine operibus) *primis illis Eccleſiæ temporibus fuit exorta, aliæ Apoſtolicæ Epiſtolæ, Petri, Johannis, Jacobi, Judæ, contra eam maximè dirigunt intentionem, ut vehementer aſtruant fidem ſine operibus nihil prodeſſe: ſicut etiam ipſe Paulus, non quamlibet fidem, quâ in Deum creditur, ſed eam ſalubrem planeque Evangelicam definivit, cujus opera ex dilectione procedunt.* De primâ igitur objectione ſatis.

2. Objicitur ſecundò, ex autoritate etiam S. *Pauli* (*Phil.* 3. 9.) *Comperiar*, inquit, *in Chriſto, non habens meam juſtitiam, quæ eſt ex lege: ſed eam, quæ eſt per fidem Chriſti, juſtitiam ex Deo.* Sed huic objectioni viam jam ex ante dictis præcluſam opinor. Veruntamen alibi, idem ille *Paulus* in officiis ſe pietatis diligenter exercet; *Caſtigo*, inquit, *corpus meum, ——ne rejectaneus fiam.* (1 *Cor.* 9. 27.) Seque aliis Chriſtianis proponit exemplum. Eſt etiam ubi vocem at tollat Apoſtolus (2 *Tim.* 4. 8.) *Certamen præclarum decertavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. Quod reliquum eſt, repoſita mihi eſt juſtitiæ corona, quam reddet mihi Dominus, in illo die, juſtus judex.*

3. Objiciunt & illud S. *Pauli* (*Rom.* 4. 5.) *Ei qui non operatur, ſed credit in eum, qui juſtificat impium, imputatur*

fides

fides ſua ad juſtitiam. An ergo Fides cum inquinatis moribus unà conſtabit? Reclamat tota *Scriptura*. *Qui facit juſtitiam, is eſt juſtus.* (1 *Joh.* 3. 7.) Per impium igitur intelligendus eſt ille, qui fuit quidem olim impius, jam verò reſipuit. Eodem planè genere locutionis, quo cæci dicuntur videre, & meretrices & publicani introire in regnum Dei, & quo Chriſtus dicitur eſſe mortuus pro peccatoribus: Chriſti vero mortis ſalutifera effecta nunquam, probè nôſtis, pertingent ad peccatores, niſi pœnitentiam fidemque agentes: obſtinatè enim impiis non proponuntur in Evangelio conſolationes, ſed vibrantur fulmina; ſecundùm illud 1 *Cor.* 6. 9. *Injuſti regnum Dei non hæreditabunt.* Prætereà, per *non operari*, in jam citato textu, non intelligendum eſt nihil omnino boni operis feciſſe; impedit enim verborum contextus; ſed legi morali non omni ex parte cumulatè ſatisfeciſſe, adeò ut à Deo mereamur vitam æternam, ut ex verſu antecedenti patet: nos autem abhorremus à doctrinâ meriti, nec dum vel unam ſyllabam protulimus, unde jure poterit id delirium colligi.

Feſtino jam ad ultimam objectionem: fundatur autem in voce *Gratis* & *Gratia*, quibus hâc in controverſiâ non rarò utitur Apoſtolus. Sic (*Rom.* 3. 24.) *juſtificamur* gratis, *Dei* gratiâ: hæc autem, dicunt, gratuita reconciliatio locum non habet niſi excluſis operibus. Qui peſtilentiſſimus error nunquam hodie abibit impunè. Parùm enim firma eſt conſequentia. Legamus locum integrum; *Juſtificamur* gratis *Dei* gratiâ, *per redemtionem factam in Jeſu Chriſto.* Quis negat? Quando enim apud Deum agimus de remiſſione peccatorum, diligenter opponimus ejus iræ τῷ dilecti Filii, non impudenter crepamus *noſtra* merita: nulla enim ſunt. Res ipſa loquitur. Et ſanè *ſi faceremus omnia, quæ præcepta ſunt nobis*, palam fateremur *nos eſſe ſervos inutiles* (*Luc.* 17. 10.) Sed de gratiâ Dei nihil, Spero, minuitur aſſerendo pietatis noſtræ in juſtificatione præſentiam. Ex gratiâ enim Dei eſt quòd vivamus, moveamus, ſimus; ex

eâdem gratiâ quòd redimamur per mortem Chriſti; quòd in nobis operetur Deus velle & perficere, ita tamen ut contra ſpiritum ejus obluctari, eum contriſtari & extinguere, ſi velimus, poſſimus: contingit nobis Dei gratiâ, quòd pietatem in novo fœdere, pro perfectâ dimidiam, pro legali Evangelicam, ſinceram pro integrâ, pro perpetuâ interruptam, pro talentis demùm denarios, acceptare velit, & amare propter filium; fit denique per Dei gratiam, Deum nos tandem miſellos homunciones, prætermiſſis tranſgreſſionibus, deletis erroribus & infirmitatibus, ad ſummos cœlos evecturum, eâque felicitate donaturum, quam oculus non vidit, nec audivit auris, quæque eſt omni mentis cogitatione major.

Quis nunc, his ſeriò perpenſis, affirmaverit gratiam Dei loco pelli, ſi opera noſtra divino præcepto præſentia in juſtificatione, & ex parte noſtri conditionaliter requiſita contendam? Si quis dixerit, pecudis vocem, non hominis audirem. Sed ut pernicioſiſſimum hunc errorem gladio quaſi ſpiritûs lethaliter confodiam, audiamus S. *Johannem*, (1 *Joh.* 1. 7.) *Eâ*, inquit, *lege*, *ſanguis Jeſu Chriſti purificat nos ab omni peccato*, *ſi in luce ambulamus.* Diſcamus igitur non inſanire in voce Gratiæ, nec eam ita defendere, ut cum juſtitiâ Dei & Sapientiâ ex Diametro pugnet; quis verò dixerit non pugnare, ſi Deus ſceleratos & peſſimos homines pari cum piis jure in cœlum admiſerit? Longè meliùs veritati nobiſque conſulemus, ſi cum viris eruditiſſimis, tales eſſe poſſe, vel in cœlo, beatos pernegaverimus.

His jam pro methodo propoſitâ tandem aliquando peractis, liceat mihi unam aut alteram obſervatiunculam breviter attexere, quæ non tam aptè fuerunt anteà memoranda, quàm hunc in locum rejicienda.

Prima eſt de Juſtificatione; hanc ſcil. eſſe non unicum Dei actum, quo ſimul & ſemel omnia noſtra peccata præterita & futura condonat; ſed eſſe continuatum, & pro Fide (*i. e.* pietate) noſtrâ, perpetuum, aut interruptum.

Omnia

Omnia præterita peccata remittuntur nobis in Baptiſmo; ſi deinde relabamur turpiter ad vitia, tantùm diminuitur de juſtificatione, (*i.e.* de ſalutis ſtatu) quantùm de pietate decedit, ad quam nihil rurſus conceditur nobis juris, niſi per pœnitentiam. Pari, inquam, paſſu incedit Juſtificatio & Fides noſtra: parùm enim eſt in pietatis curriculo incepiſſe, niſi idem perſeveres, & ad metam uſque pervenias; & in ſalutis negotio Chriſti illud ſemper nobis obverſetur animo, *Qui ad finem uſque perſeveraverit ſervabitur.*

2. Et ultimò, quando Fidei adſtruimus ad juſtificationem neceſſitatem, ſub intelligimus id in ſubjectis capacibus. Abſit, ut ad inferos damnemus, infantulos morientes baptizatos, ſtultos etiam, menteve captos: credo ſalvari tum hos, tum pleroſque illos per merita Chriſti: Quæſtio eſt, quo pacto his applicentur merita Chriſti? Non certe anteà memorato modo: Sed hæc omnia Deo patri clementiſſimo relinquenda.

Hæc habui, Academici, de novi præſertim fœderis conditione, differenda; quæ ſi cui longiora viſa ſunt, is ad rerum, de quibus egimus, naturam, paulò animum advortat, & tum fortè videbuntur breviora.

Reliquum eſt, Viri, Patres, Fratreſque, ut vocationi noſtræ ſinguli ſedulò incumbamus, & ad Dei gloriam, noſtramque ſalutem altis ſuſpiriis, rectiſque ſtudiis; uno verbo, ſincerâ fidelis animi pietate, ardenter contendamus.

Ita fiet, ut Dei benigniſſimi dignatione, pacem tandem habeamus æternam; idque per & propter Jeſum Chriſtum Dominum & Servatorem noſtrum. Amen.

FINIS.

Books Printed for and Sold by EDMUND JEFFERY *Bookſeller in* Cambridge.

A Sermon Preach'd at the Public Commencement at *Cambridge*, July the 3. 1698. By *Francis Hutchinſon*, D. D.

A Sermon Preach'd before the KING at *Newmarket*, *April* the 16. 1699. by *John Leng*, B. D. and Fellow of St. *Katharines* Hall in *Cambridge*.

The Eternal and Intrinſick Reaſons of Good and Evil, A Sermon Preach'd at the Commencement at *Cambridge*, *July* the 2. 1699. by *John Edwards* D. D.

Concio & Determinatio pro Gradu Doctoratûs in S. Theologiâ *Cantabrigiæ* habita *Octob.* 12——13. 1699.

Inſanientis Sapientiæ, ſive Enthuſiaſmi Confutatio. Concio habita ad Clerum Academiæ *Cantabr.* in Feriis D. *Petri*, An. 1700. pro Gradu Doctoratus, à *Johanne Gaskarth*, S. T. P.

A Sermon Preach'd before the Univerſity at *Cambridge*, on Commencement Sunday Forenoon, *June* the 30. 1700. by *John Gaskarth*, D. D.

St. Paul and St. James Reconcil'd. A Sermon Preach'd before the Univerſity at *Cambridge*, on Commencement Sunday in the Afternoon, *June* the 30. 1700. by *Offſpring Blackall*, D. D.

BRITISH MUSEUM

Editio

Editio Novi Testamenti, perquam nitida summâ fide & labore castigata Græcè. *Cantabr.* Typis Academicis 1700.

Horatius	in Usum Delphi.	Terentius Comœd.
Virgilius		Juvenalis Satyr.
Justinus		Ciceronis Orat.

Q. Horatii Opera, ad optimorum Exemplaria fidem recensita. *Cantabr.* Typis Academicis 1701. 12°.

J. Clerici Physica, Editio Novissima, prioribus correctior. *Cantabr.* Typis Academicis 1700.

S. Puffendorfii de Officio Hominis & Civis, Libri duo. Editio Sexta, aucta Lemmatibus. *Cantabr.* Typis Academicis. 1701.

BRITISH MUSEUM